DE

SALVIANO

DISSERTATIO ACADEMICA.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/desalviano00gira

DE

SALVIANO

DISSERTATIO ACADEMICA.

FACULTATI LITTERARUM MONSPELIENSI

PROPONEBAT AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

H. J. GIRAUD,

IN EADEM FACULTATE LITTERARUM MONSPELIENSI

JAM LICENTIATUS.

MONSPELII,

EX TYPIS X. JULLIEN.

MDCCCXLIX.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
16399
LIBRARY

OCT 20 1951

DE

SALVIANO

DISSERTATIO ACADEMICA.

—

Aggredienti mihi de Salviano dissertationem scribere, hæc, ante omnes, occurrit objectio : — nonne jampridem, in academicis gymnasiis, scriptoris hujus nomen satis superque fuit auditum ? Quidve novi, disquirente me, in lucem prodibit ? Disputare enim, solâ disputandi voluptate, parvi momenti res est. —

Quùm autem aliquandiù hæsisset animus, ferè nullum Salviani personæ tunc temporis attendisse animadverti : multa quoque, ex ejusdem libris, adhuc enucleari posse suspicatus sum. Indè, mihi propositum est hominem simul atque opus monstrare : quùm enim de inclyto doctore agitur, quemadmodùm scripta mentem erudiunt, ità virtutes animum juvant.

Ideircò præcipuas duas partes, unam de Salviani vitâ, alteram verò ad libros attinentem, complectetur nostra dissertatio. Adde quòd posteriorem partem, sub triplici aspectu, philosophico nempe, historico ac litterario, intueri poteris. Itaque, primùm, quas causas eventis humanis tribuerit scriptor, perpendam; et, ut rectè illius dijudicetur opinio, non præcipuorum modò qui anteà de humanæ historiæ causis locuti sunt, sed Bossuetii etiam opinionem, in medium proferam : deindè, quænam fides Salviano de coævis narranti adhibenda sit, exquirere conabor : tùm de certâ ejusdem, utpote scriptoris, laude, brevibus absolvam dictis.

PARS PRIOR.

Ubi et quando natus sit Salvianus, incertum : ex ejus scriptis, aut Coloniæ Agrippinæ, aut apud Trevirenses, inclytâ stirpe ortus videtur. Namque, in sexto *de gubernatione dei* libro, patriæ suæ aliarumque gallicarum urbium calamitates descripturus, Agrippinam et Trevirenses statim evocat.

Probabitur quoque, jam, quinti exordio seculi, natum esse Salvianum, quùm illum, anno ccccxxxix, presbyterum non modò reperiamus, sed etiam publicis laudibus ab Hilario arelatensi dignatum. (1)

Item, Gennadio teste, doctorem nostrum ad summæ senectutis terminos pervenisse constat, quippè qui viveret adhuc, anno sexto decimo ante quinti seculi occasum, quùm *de viris Ecclesiæ illustribus* prædictus auctor scriberet. (2)

Disputatur deindè an, ex lirinensi monacho, mox presbyter, tùm massiliensis episcopus, Salvianus factus sit: quæ mihi, etsi ambigua, disquirenda tamen visa sunt.

Lirinensem fuisse monachum Salvianum libenter crediderim. Postquàm enim, è lirinensi cœnobio, Honoratus et Hilarius recessissent, Salvianum simul ac Vincentium magistros ha-

(1) Beatissimus vir Salvianus presbyter, carorum suorum (*Honorati scilicet*) unus etc.

S. Hilar. de S. Honor. Episc. Arelat. serm..

(2) Gennad. Cap. LXVII. — Tillemont. tom. XVI, p. 747.

BQ
6212
.S265

buisse Veranius et Salonius dicuntur. (1) Quomodò ergò, Vincentium, absque dubio Lirinensium abbatem, unàque Salvianum massiliensem presbyterum, hi duo Eucherii lugdunensis filii magistros habuissent, ni temporibus illis lirinensis monachus fuisset supradictus presbyter? Tùm, quâ ratione, ex eremo sanctissimo, ad Massiliensium urbem, certissimè studiorum magistram, sed peccantium illecebris captam, filios Eucherius revocâsset? Verisimillimum est, anno CCCCXXVI, quo primùm Hilarius lirinense reliquit cœnobium, ibidem Salvianum vitam degisse, tribusque elapsis annis, Massiliam petiisse.

(1) Dignum namque est quâcumque curâ meâ ingenium tuum remunerari, qui vix decem natus annos, eremum ingressus, inter illas sacras manus non solùm imbutus es, verùm etiam nutritus es, sub Honorato patre illo, patre inquam primo insularum, posteà etiam Ecclesiarum magistro, quùm te illic beatissimi Hilarii tunc insulani tironis, sed am nunc summi pontificis, doctrina formaret per omnes spiritualium rerum disciplinas; ad hoc etiam te posteà consummantibus sanctis viris Salviano atque Vincentio etc.

Euch. Lugd. Episc. in epist. ad Salonium.

Alia sanè oritur objectio : ut infrà videbitur, non solùm Salvianus, sed ejusdem uxor filiaque è natalibus arvis migraverant, et cum illo, per multos annos, vixisse dicuntur. Anne, igitur, cœnobium lirinense, quò viri tantùm properabant, has feminas petiisse credendum est?

Etsi speciosa hæc prodiit objectio, illi tamen haud difficile responsum debetur. Duæ sunt enim lirinenses insulæ; quarum major, olim, ob altare Leroni cuidam, vel heroi, vel forsan piratæ sacratum, Lero nominata (1), dein S. Margaritæ nomen sumpsit (2); minor autem insula, Lerina primò (quod è vicinâ Lerone deductum est nomen), tùm Planasia et demùm S. Honorati insula dicta est.

In hâc virile præsertim, in Lerone verò muliebre floruit cœnobium : namque, ut etiam nunc fama viget, postquàm Lerinam Honoratus aliique sancti viri tenuissent, Leronem vicinam, Honorati soror, Margarita nomine,

(1) Strabo. lib. IV.

(2) Lecointe, annal. eccl. Franc. tom. 1, fol. 504.

adiit, socias ad pietatem informatura mulieres. Quùm autem à Lerinæ orâ prohiberetur, à dilecto fratre visitari dilecta soror cupiebat, illiusque votis sæpissimè Honoratus indulserat. Ille tandem, ne divinis officiis aliquid detraheret, annua tantùm colloquia promisit, quo videlicet tempore cerasi effloruissent.

Tunc, ex oculis lacrymas, simul ex ore preces, fudit Margarita; mox inexorabili fratri exorabilem opposuit Deum, et cerasus, super Leronis orâ quæ in Lerinæ conspectu surgit, singulis mensibus, floribus canduit. Cui signo, sicuti divinæ voluntati, parens, ineunte quoque mense dilectam dilectus invisebat, fraterque cum sorore de cœlestibus colloquebatur.

Huic narrationi, quam sanè poesis magis quàm historia sibi vindicabit, nonne aliquid veri connectitur? Sublatâ fabulâ, muliebre cœnobium in Lerone videmus: quomodò enim, in hâc insulâ degere vitam sinè sociis Margarita potuisset? Ideircò, inter has sanctas mulieres, Salviani uxor filiaque, quùm noster Lerinam incoleret, locum obtinuisse videntur.

Nec pariter affirmari possit ex presbytero massiliensem episcopum Salvianum factum fuisse : Gennadius enim (1), et Ado viennensis (2), illi tantùm presbyteri nomen dederunt : tùm quo tempore Salvianum quidam alii, Græcum Apollinaris Sidonius inter massilienses episcopos inscripsit. (3)

Ad ea potiùs properemus quibus Salvianus ipse fidem conciliavit : etenim inter ejus epistolas quartam notavi, in quâ præclari doctoris vita tenebras, ut ità dicam, exuit.

Palladiam, cui pater Hypatius et mater Quieta, quùm uxorem avitis in arvis Salvianus duxisset, illis puella, Auspiciola nomine, nata est.

Dein, terreno affectui succedente Christi affectu, ad castitatem, necnon ad religionem quâ significatur monastica vita, sponsam sponsus invitavit. Morigera paruit uxor,

(1) Salvianus apud Massiliam presbyter, humanâ et divinâ litteraturâ instructus, etc.

Gennad. Cap. LXVII.

(2) Salvianus presbyter apud Massiliam etc.

Ado viennensis, in chronicâ.

(3) Apol. Sid. lib. VII, epist. II.

turpe reluctari credens, et, ex eo tempore, conjugis dilecta et venerabilis soror facta est.

Quapropter immitium parentum exarserat ira, cujus vitandæ causâ, Salvianus ejusque familia, Massiliam, vel potiùs, ut jam dictum est, lirinenses eremos adierunt.

Septimus exiturus erat annus, ex quo Germaniæ solum reliquerant, nullaque genero scribenti responsa dabat socer. Tunc Hypatio et Quietæ, qui singularibus litteris non movebantur, Palladiâ Auspiciolâque annuentibus, Salvianus iterùm scripsit. Quisnam hujus epistolæ fuerit exitus, ambiguum est: nec jam, vel conjugis, vel filiæ, mentio facta fuit: non autem crediderim innocentes filios unquàm voce suaviori veniam postulasse.

« Quid feci, exclamat Palladia, quid commerui? Ignoscite quidquid illud est. Veniam peto, etsi delictum nescio. Teneo, ni fallor, mandata vestra: hæret sensibus meis sanctum piæ præceptionis arcanum: ante omnia viro esse jussistis; vestræ voluntati obsecuta sum. Honestè me facere credidi quidquid Dei amore

fecissem. Advolvor vestris, ô parentes charissimi, pedibus, illa ego vestra Palladia, vestra graccula, vestra domnula, cum quâ, his tot vocabulis, quondam indulgentissimâ pietate lusistis ! En ego illa sum per quam vobis illa primùm et parentum nomina, et avorum gaudia contigerunt. Ne, quæso, vobis molestum sit quòd referre aliquid Deo cupio.»

Parte aliâ, Auspiciolam inducens, pater suspirat : « Miseremini, quæsumus, innocentiæ ejus : miseremini necessitatis : cogitur quodammodo, pro offensâ suorum supplicare, quæ adhuc nescit quid sit offendere. »

Demùm, epistolam concludens, illis mirandis verbis Salvianus utitur : « Superest ergò, ut si quid aliud commissum à nobis est, tu qui id offensâ dignum putas, veniâ quoque non indignum arbitreris : nihil de ultione perdit filio ignoscens pater. »

Excerpta equidem alia seligere possim, quibus apparet mollem Salviano placuisse tristitiam, et in ejus corde omnes effloruisse virtutes, præsertim Dei atque pauperum tenerrimam caritatem :

sed hoc longiùs me ab incœptis traheret: opportunior enim excerptis novis locus erit, quùm de Salviano, utpote scriptore, dicemus. Hìc verò addere sufficiat, tempus, quod massiliensis presbyteri plurima scripta perédit, (1) ejusdem actibus non pepercisse: manent enim virtutum documenta, actus autem ipsi, olim absque dubio mirandi coævis, nunc tantùm divinis oculis patent.

PARS ALTERA.

Hæc sunt, breviter conclusa, quæ ad Salviani

(1) Hæc Salviani scripta legisse testatur Gennadius: de virginitatis bono ad Marcellum, libros tres; et adversùs avaritiam, libros quatuor; de præsenti judicio, libros quinque (quod nunc in octo libros divisum habemus opus); et, pro eorum præmio satisfaciendo, ad Salonium episcopum, librum unum; et in morem Græcorum, de principio Genesis usquè ad conditionem hominis, compositum versu quasi *exameron*, librum unum; homilias ad episcopos factas multas etc.

Gennad. cap. LXV.

Ex quibus operibus, nunc, tantùm de præsenti judicio (vel de Gubernatione Dei) et adversùs avaritiam libri (sub Timothei nomine), et aliquot epistolæ supersunt.

vitam attinent: hùc usquè, ni fallor, non argumentis patet locus: sed apertæ porticûs instar, pars prior ad disputationis viam perducit. Namque dum Salviano nec sanctitas, nec ingenium negari potest, illi defuisse philosophicæ doctrinæ acumen, et ideò eumdem tabellam nimiis pinxisse coloribus, probaturus accedo.

Salviano tamen hæc immeritò exprobrationi verterentur: illum enim ætas sua sophistico sæpiùs quàm simplici sermone usurum tulit: in notiore illius opere, videlicet in libris *de gubernatione Dei*, coacervata enitet materies; ædificium autem structoris viribus surrexit impar. Quapropter, etsi Salviani ævum, potiùs quàm ingenium incusaturo, mihi tamen veniâ opus est, quam non peterem nisi tanto nomini aliquid pristini decoris detrahere viderer.

His prælibatis, hujusce partis alterius divisioni, de quâ in proœmio locutus sum, nunc operam dabo.

I.

Veteres, ut cuique ingenium, vel arctâ, vel diffusâ, persæpè verò eloquenti voce, præterita facta narraverunt. In his autem omnibus, rerum auctores, cæco propulsi fato, politicam scenam adeunt. Undè veniant, quid sint, quò incedant, terrenis oculis dum scriptor ambit, mente non attingere videtur : scilicet in vitæ actoribus, homines potiùs quàm humanitatem antiqua prosecuta est historia : à profanis historicis secundæ tantùm eventorum causæ, primis ipsos fugientibus, adnotantur.

Nec mirum illud, vel leviter attendenti : priscis enim historiarum scriptoribus, non orbis terrarum, sed natalis urbs patria fuit : Græcisque et Romanis, quivis extraneus pro Barbaro habebatur. Ideircò soli civitati suæ favebant, aliasque gentes æterno vovebant famulatui. Agitabatur sanè, in philosophorum gymnasiis, quædam divina cunctis hominibus consulens Providentia, quam negabant Epicurei, Stoici autem invocabant : sed quænam fuerit, quâ ra-

tione et ad quem finem res humanas ea dirigeret, ne suspicari quidem quisquam ex profanis visus est.

Universalis historiæ qui primus fundamenta locavit, falsa veris Herodotus miscuit, solam, in scribendâ historiâ, narrandi voluptatem insecutus.

Huic successerunt Thucydides et Xenophon, quorum unus inter oratores, alter verò inter philosophos, magis quàm inter historicos, adnumerandus est: cæterùm, hellenicos annales tantùm professi, honori certè religionem habent; sed virtuti politicæ, non supremo numini, primas in agendis rebus partes assignant.

Hactenùs humanæ historiæ frustrà lineamenta ipsa requirerentur. Mox autem oritur tempus quo veterum ætatum immutatur facies: conjurata, vel potiùs macedonicæ ditioni parens, è finibus antiquis ruit Græcia. Ad orientis secreta pergit ille *in conspectu cujus siluit terra.* Evanescit, ejusdem adventantibus catervis, fortissimi quondam imperii decus: sed Ori-

enti devicto amicas manus tendit Alexander ; nec rapidi torrentis instar , uberis verò fluminis specie, semitas suas ducit, urbibus dirutis numerosiores civitates condens , et victis debita victor solvens.

Transit tamen hic Græciæ Asiæque regnator, æqualibus sanè mirandus , non autem Dei providentiâ vel propriis virtutibus , sed quodam fato auctus. Libertatis enim memoria et amor hellenicas mentes pertentabant, adeò ut Macedonum clades Atheniensibus jucundior quàm victoria futura fuisset. Idcircò , non divinus opifex, felix verò dominator, veteribus Alexander visus est. Vox una, Joiadæ scilicet , summi Hebræorum pontificis , juveni victori sublimia fata nunciavit, illum , non Deum, sicut adulator Ammonis vates, sed instrumentum Dei salutans.

Cujus vocis sensui , et prophetarum oraculis, non satis mentem admovisse mihi videntur, quicumque historicum Bossuetii systema priscis seculis ignotum contendunt. Libentiùs equidem dixerim meldensem episcopum (quod ipse fatetur), è fontibus sacris operis sui rationem hau-

sisse. Quid enim Isaiæ, Ezechielis, Heremiæ, Danielis aliorumque vaticinia significant, nisi Deum, à principio, rebus humanis prospicere, eventorumque seriem, ad quemdam finem propositum, salvâ tamen hominis libertate, constitui.

Attamen, quod hellenicæ historiæ scriptores fugerat, non magis romanis historicis patuit. Sic Philopœmenis alumnus, idemque posterioris Africani contubernalis, Polybius, perpetuâ, vel romanæ fortitudinis, vel patientiæ laude, patriæ suæ cladem quodammodo excusatam voluisse videtur. Alii quoque (quos hìc enumerare supervacaneum duco), sive historiæ romanæ partem, sive omne temporis anteacti spatium amplexi, imprimis persuasum habuêre, virtute potiùs quàm sorte genus humanum regi. His ergò judicibus, quævis dominatio industriâ et fortitudine innititur, et *imperium facilè iis artibus retinetur quibus initio partum est.* (1)

Quorum omnium de humanâ historiâ menti,

(1) Salluste, Cat. II.

si mens Salviani comparetur, majorem haud dubiè laudem (quum hìc de ingenio non agatur), massiliensis scriptor referet. Christiano afflatus lumine, atque eloquentis Bossuetii quodammodo præcursor, ea Salvianus scrutatus est quæ nec profani, de quibus hactenùs dictum est, nec historiarum in primigeniâ Ecclesiâ scriptores, attigisse videntur. Hominum enim generationes ante Dei solium transeuntes monstrat : omnia, utpote præsens, cognoscit Deus, utpote rector, gubernat, utpote vindex, judicat. (1) Cujus doctrinæ partem, ut suprà animadvertimus, adumbraverant Stoici : nemo verò, ante Salviani tempus, si scriptores sacros exceperimus, tam apertè Dei præsens revelavit judicium.

Maxima quidem hæc est Salviani laus : attamen, ut infrà disputabitur, dum eventorum primam intuitus est causam, cœlestem nempe, humanis causis, nullo ferè modo, mentem admovit. Cui si fides adhibenda sit, corruit romana dominatio, præcipuè ob Romanorum

(1) Salv. lib. I.

peccata : Dei nempe obliti fuerant illi , Deusque illorum oblitus est : quod sanè fatebitur Bossuetius, cæteras tamen hujusce memorandæ cladis notaturus causas.

Sed priusquàm promissa instruatur comparatio, inutile forsan non erit exquirere cur egregios *de gubernatione Dei*, aut *de præsenti judicio* libros Salvianus scripserit.

Luctuosa Imperii Romani clades , quam urgebant corruentes ex omni parte Barbari, degeneres Romanorum animos ad culpandam Dei providentiam induxerat. Isti nefario paganicæ gentis lamento , in sublimibus *de Civitate Dei* libris , primam Augustinus responsionem subjecit , cœlestem à Christo fundatam esse civitatem monstrans , quæ, postquàm terrenæ civitati lento duello collisa fuerit , victrix tandem , præmia in cœlis recipiat.

Hæc sunt quidem quæ de Augustini libris absolutè dici queant: in singulis autem eventis, absque discrimine, et bonis et malis hominibus, vel mala, vel bona tribui videmus, eò quòd, his in terris vera desit remuneratio. Non à priscis

numinibus neglectis, sed à vero Deo, propter rationes nulli requirendas, Imperium Romanum affligitur. Quin etiam, ex quo terrarum orbis conditus est, indesinenter in genus humanum redundavêre calamitates: quod Augustini dictum confirmaturus, universalem contrà Paganos Orosius historiam scripsit, in quâ hominum dolores, magis quàm homines ipsos, legentibus depingit.

Crescente verò calamitatum illuvie, non modò Paganorum, sed Christianorum quoque in Providentiam divinam rebellavit fides: cujusnam enim Christi vel Jovis supplicarent numini, quùm Barbarorum plerisque, Jovem nescientibus simul ac Christum, nihilominùs faveret Victoria? Indè, quævis religio, eâ tempestate, ex animis exolebat; aut potiùs numen quod Epicurizantes coronaverant, voluptas nempe, eò blandiùs alliciebat cultores quò acrius infortunium, aut lethum instantius erat.

Impietatis igitur ardebat tumultus, quùm magna Salviani vox audita est. Etiamsi vix Augustini ætas discedebat, rapida tamen eventorum

series, paucis annis, orbem terrarum mutaverat, adeò ut libenter dixerim, ipsi Augustino, si diebus illis scripsisset, non eadem certè argumenta adhibenda fuisse : non enim Pagani soli, sed Christiani quoque, non soli Philosophi, sed Plebs ipsa, responsum efflagitabant.

Postquàm ergò, in exordio libri, providentiam, gubernationem præsensque Dei judicium, ratione, exemplis et scripturâ sacrâ vicissim instruxit, popularem viam Salvianus ingreditur, atque Paganis et Christianis improbè querentibus vocem præcludere suscipit. Ad pœnas enim vel ad emendationem Romanis tribuuntur quæ istud ævum miserrima vidit : uno verbo, si doctoris nostri omnes evolvantur paginæ, facillimè probabitur, illius quidem sententiâ, interire Romam, ut suprà animadvertimus, eò quòd evangelicis præceptis Romani cives jampridem non pareant.

Nunc verò ad inclytissimum Ecclesiæ gallicanæ patrem veniamus. (1)

(1) Bossuet, hist. univ. IIIe partie.

Primùm, selectos à Deo Hebræos profert Bossuetius; quæ gens, ab Assyriis et à Babyloniis è patriâ sede avulsa, à Persis deindè restituta, quùm Alexandri benignitatem Seleucidarumque minas alternâ vice experta est, Romanam consequitur benevolentiam. Mox Christum crucifigentes, ab iisdem Romanis exterminantur Hebræi. Ævo autem sequente, contrà recentem Ecclesiam, sævissimi cruciatus exsurgunt, quos inter, et fides et patientia Christianorum eminent. Tandem, Christiani facti, carnificum posteri crucem venerantur, animarumque adepta imperium, veteris ac bellicæ Romæ, nova et pacifica Roma partes sibi vindicat. Exorientibus enim diebus quos ultimos romanis Imperatoribus Deus concesserat, ter quaterve direpta Roma solius Christi civitas remanet, et quivis gentis barbaricæ ductor, pro viribus suis, veteri dominatui succedens, Ecclesiæ Christianæ defensorem se haberi gestit.

Quas Deo, videlicet causæ primæ, partes ad propositum à principio finem, tribuit Bossuetius : Salviano quidem assentitur quùm, sanguine martyrum ebriam, piaculo Romam

vovet ; philosophus verò, idemque theologus, et à primâ causâ ad secundas causas descendens, certam omnium eventorum in præteritis seculis rationem exstitisse affirmat. Quapropter, illo judice, non solùm actus imperiorum subitò mutantes faciem, sed populorum etiam, principum et celeberrimi cujusque viri mores, è quibus sive bona sive mala ortum duxêre, sedulò notandi sunt. Ità Polybii atque Salviani, apud Bossuetium, consociantur opiniones ; isque tandem imperium mundi confert aleæ in quâ seriùs ociùs lusor peritissimus vincit.

His præmissis, peculiares deindè probationes, de romanæ potestatis naufragio, subnectit meldensis episcopus, viamque reserat in quam, ævo sequente, alter historiæ philosophicæ princeps ulteriùs progressurus erat. Igitur quæ fusiùs evolvet *Montesquieu*, brevitate micantia Bossuetius enucleat.

Sic, primùm, castrensem licentiam, ut Imperii Romani asperrimum scopulum, monstrat : partum quidem armis, ideòque militibus innixum, nutare debuit Imperium, ex quo præser-

tim didicêre milites sese principatûs veros esse dispensatores. Indè, quot exercitus, tot persæpè Imperatores! innumera inter cives exarserunt bella, imminutaque sunt, apud Barbaros, romani decus nominis simul ac vis.

Tùm alia excidii causa, provinciarum notantur divitiæ: namque numerosiores facti, primùm, è finibus suis, prædandi necessitate pulsi, ad tempus migraverant Barbari. Mox verò, deficiente prædâ, solum ipsum, ex omni parte convenientes, occupare conati sunt. Hæc origo externorum bellorum, quibus tandem impares futuri erant Romani: militari enim florente disciplinâ, gentes nonnisi singulas aggressi domuerant: quomodò, vigente licentiâ, tot unà infensas gentes feliciter fudissent?

His autem ruinæ causis addantur bini Augusti binique Cæsares, bina deinceps Imperia, (et exindè ignoti hùc usquè innumerique sumptus), Occidens ab Oriente neglectus, et fœnerantium in debitores, dominorum in servos tanta sævitia ut ad Barbaros ipsi cives frequenter confugerent. Tandem exhausta Roma

servos inter cives, advenas in Senatum, Barbaros in exercitus adscivit, quod ultimum quùm amori patrio, tùm militari disciplinæ vulnus inflixit. (1)

Hæc aliaque similia Bossuetius. Salviani verò evolventi libros, non idem sanè apparebit argumentorum genus. Exceptis enim quæ vel ad divitum avaritiam, vel ad Baccaudas spectant, ubi secundas primis rectissimè causas sociavit, hanc certè, sub omni aspectu, inveniemus sententiam : vincuntur Romani, sed à se ipsis, id est impietate mentis et cordis pravitate, potiùs quàm à Barbaris. Quæ, absolutè prolata, non admitti queunt. Idcircò liceat mihi, quid de hac re sentiam, exemplis probare.

Pugnam scilicet, in quâ Lætorius consul à Gothis devictus est, Salvianus memorat, et hujus cladis causas disquirit. Duæ quidem offeruntur, quarum una Lætorii superbia fuit, altera barbari regis pietas : hic enim, antequàm committeretur pugna, Deum, cilicio indutus, exoraverat. Sic

(1) Bossuet, hist. univ. IIIe partie.

quoque à Vandalis precantibus, profligata fuit in Hispaniis alia Romanorum acies. (1)

Ea certè notanti mihi in animo est nec ducum superbiam laudare, nec pietatem irridere: libenter etiam, vel victoriam, vel cladem iis causis, in utrâque illâ pugnâ, paratas fuisse concesserim. At, juxtà scriptoris mentem, quod in his præliis, in omnibus accidit, adeò ut si christiana religio apud Romanos intemerata viguisset, Romani, utpote catholici, sive Vandalos, sive Gothos, addictos hæresi, continuò superaturi fuissent.

Quùm hæc aliaque ejusdem generis affirmaret Salvianus, historiæ saltem, ne aliud dicam, oblitus est. Numquid, exempli gratiâ, puriores, quàm Honorii aut Valentiniani tertii tempore, Romanorum mores, Augusti ævo, fuerant? Non utique, respondebit scriptor; sed ob veræ religionis inscitiam, Augusto regnante, veniâ digni erant Romani; quapropter illis favebat Deus.

Quod certè responsum admittent scolastici,

(1) Salv. lib. VII.

historicus autem abnuet ; Augusti Trajanique et aliorum victores dicet exercitus, vel quòd nondùm fracta, vel quòd restituta saltem militaris disciplina fuisset.

Ex disputatis, in hâc primâ alterius partis sectione, concludendum est forsan, quod anteà proposui, theologum nempe, non philosophum, Salvianum fuisse ; aut potiùs, apud eum, humillimam Theologiæ ancillam, Philosophiam incessisse. Videamus nunc quænam eidem de coævis narranti debeatur fides.

II.

Quemadmodùm Augustini opinionem ut confirmaret Orosius, in septem quos de humanâ historiâ scripsit libris, ex omni parte calamitates contraxit, et à prosperè succedentibus oculos, ut ità dicam, diligenter removit ; sic ævum suum Salvianus describens, ad probandam Dei ergà Romanos ultionem, nefanda ubique videt scelera, nec ullius ferè virtutis vestigium notat. Demùm, Juvenalis instar, sanguineis verbis æquales lacerat.

Laicos primùm ità litium amatores, ut litigator tunicam repetens, ipse sæpissimè nudetur, nedùm obtineat pallium, nec etiam verberanti verbera, sed necem potiùs parantes ostendit.

« Quid autem, exclamat, aliud est cunctorum negotiantium vita quàm fraus aut perjurium? Quid aliud Curialium, quàm iniquitas? Quid aliud Officialium, quàm calumnia? Quid aliud omnium militantium, quàm rapina? (1) »

Parte aliâ, ferè Aquitanorum omnium *gula* dicitur *unus gurges, vitaque unum lupanar*. (1) Adest simul, eâ de re, descriptio quam retulissem nisi, præsenti ævo, quivis pudicus lector, etiam latina legens, verborum honestatem exigeret. Dicere sufficiat, Salviano teste, ancillarum gregis, tunc temporis, quemcumque patremfamilias virum fuisse; quinimò impura ista quùm senes, tùm pauperes, quùm liberi, tùm captivi, concupiscunt.

(1) Salv. lib. III.

(2) Salv. lib. VII.

Mox ex Europâ transit censor in Africam, quâ nullam romanam provinciam *criminosiorem* fuisse dicit. Ibi, velut sanguis in aheno, in omni corde fervet nequitia; hùc cupiditas, avaritia, ebrietas, fraudes, perjuria, ex omni mundo, sicut in sordidæ navis sentinam, et sinè ullius boni permistione, redundârunt. Tùm, inter coacervata vitia, Ætnæ similis æstuanti surgit luxuria, adeò ut faciliùs fuisset cuiquam indigenæ non esse Afrum, quàm non esse impudicum. Prætereà Carthagini, magis quàm aliis civitatibus, sodomitum crimen exprobratur: intrà ejusdem mœnia, *populo vidente ac plaudente, judicibus ipsis videntibus et adquiescentibus*, muliebria patiebantur viri, feminarum quoque vestitum usurpantes. (1)

Nunc verò si ea, quæ de Clericis ibidem dicuntur, referamus, Salvianum, juxtà Bellarmini verbum, *nimium* multò magis inveniemus, et tantùm vividissimo Dei affectu excusandum. Quapropter ipsius usurpentur dicta.

(1) Salv. lib. VII.

« Quotum enim quemque invenies in Ecclesiâ non aut ebriosum, aut helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganneonem, aut latronem, aut homicidam? Et quod his omnibus pejus est, propè hæc cuncta sinè fine... In hanc enim morum probrositatem propè omnis ecclesiastica plebs redacta est, ut in cuncto populo christiano genus quodammodo sanctitatis sit minùs esse vitiosum ». (1)

Alio loco, de Clero carthaginiensi memorans, sacerdotes à se non *discuti* ait, quòd Christi ministerio reverentiam servet; sed plebem ecclesiasticam aggressus, (quo verbo Clericos nondùm sacerdotium adeptos indicari crediderim), exclamat: « Ibi inter tot millia, si diligentissimè quæreres, castum vel in Ecclesiâ invenire posses ». (2)

Attamen, quânam ætate hæc probra Clericis objiciebantur? Eâ nempè quæ lirinense tot virtutibus florens vidit cœnobium; quæ Lugduni

(1) Salv. lib. III.

(2) Salv. lib. VII.

Eucherium, apud Arvernos Apollinarem Sidonium, in aliis Galliarum provinciis Honoratum, Cæsarium, Hilarios, Germanum, Lupum aliosque complures pietate inclytos mirata est. Quin etiam, in hâc, quam verbis Salvianus transfixit, Africâ, non adeò extincta Augustini memoria fuit, ut nullius virtutis remaneret vestigium. Certum est tamen sub hac hyperbolâ, interdùm aliquid veri abscondi : jamdiù enim, Ecclesiæ Christi ab Imperatoribus pace redditâ, quùm veterum periculorum, tùm primigenæ pietatis, Clericorum plerique facti fuerant immemores. Sed non omnes à quibusdam discendi sunt. Idcircò, si mihi quid sentiam fateri liceat, nec Salviani ævo, nec ullo quovis tempore, eâ quæ memoratur pravitate, coinquinatum fuisse genus humanum affirmaverim.

Ut autem scelestiores Romani monstrentur, postquàm illis omnia vitia Salvianus objecit, Barbarorum laudes profert. Aliquot tamen sordes, ut unius veritatis amicus videatur, in Barbaris paganis existere contendit: « Gens Saxonum fera est, Francorum infidelis, Gepidarum

inhumana, Chunorum impudica. » (1) Sed hi omnes veræ legis ignorantiâ quodammodo absolvuntur. Attenuatur deindè Allemanorum ebrietas; item rapacitas Alanorum. Demùm, per Jovem et alia falsa numina jurantes, perjurio immunes dicuntur Barbari.

Ex his verò qui hæresi inserviunt, Vandali vel Gothi, si qua vituperanda committunt, quùm à falsis doctoribus corruptam Dei legem acceperint, bonâ fide proteguntur. Prætereà non solùm ergà suos, sed etiam ergà Romanos, Gothorum certa est caritas. Num apud eos inveniuntur circenses? Qui si forent, sanè minore culpâ notarentur. Adde illos Deo maximè confidere.

Sic cuicumque barbaricæ genti si qua vitiositas inhæret, virtute quâdam semper redimitur: « Gothorum gens perfida, sed pudica est; Alanorum impudica, sed minùs perfida; Franci mendaces, sed hospitales; Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi. » (2)

(1) Salv. lib. IV.
(2) Salv. lib. VII.

Infrà, de Vandalis sermo est qui, postquàm Afros debellassent, adeò castum, inter prospera, retinuerunt animum, ut *nullus eorum mollis effectus sit.* (1)

Certissimè virtutes quæ hìc Barbaris tribuuntur, ut vitia quæ nuper objecta Clericis vidimus, à vero recedunt. Salvianus autem Barbaros laudans, laudandus est ipse, nedùm veniâ indigeat: primùm enim, quod de Germanis scribens, ut Romanos ad verecundiam revocaret, olim fecerat Tacitus, haud dubiè christianus orator, ad Christianorum corrigendos mores, imitari potuit: tùm, sub laudationibus nimiis, quæ Barbaris offeruntur, conciliator micat animus. Quùm etenim hæc dicerentur, etsi nondùm in occidente Romanum Imperium conciderat, illius ruina tamen à doctis viris præsentiebatur. Quapropter, laudibus Barbaros, ut victis ignoscant, Salvianus mulcet, et quodammodo Germanus ipse, et germanico triumpho quasi gaudens, novarum gentium semen in victoribus indicat.

(1) Salv. lib. VII.

Quod autem in scriptore nostro jam animadvertimus, ad veram historiam accedit descriptio exactionum quas in semet ipsos Romani urgent.

Baccaudas primùm, id est colonos gallicos, à malis cruentisque judicibus spoliatos, ad arma confugientes monstrat: qui, postquàm jus romanæ libertatis amisissent, ipsius romani nominis decus respuerunt, Baccaudarum insuperbientes nomine. (1)

Nunc verò, ex quo virium debilitas arma prohibet, ad Barbaros saltem confugiunt miseri, quùm hostes leviores exactoribus inveniant. Tributorum tamen toleranda foret sarcina, si eadem imponeretur omnibus. Sed hìc, ut semper aliàs, infirmioris onus fortiorem levat, et pauperes divitiis abundare arbitreris, si quod solvunt respicias. Sic, extrà solitum tributum, *novis plerumque nunciis, novis epistolariis, à summis Sublimitatibus missis*, nova potentes decernunt munera, quæ soli pauperes suppeditant.

(1) Salv. lib. V.

Quodque indignius est, hi quâ ratione ista solvant, persæpè nesciunt. Quin imò si *defectis* urbibus aliquandò tributa minuantur, exonerantur soli divites.

Quas inter exactiones, nonne igitur ad Gothos fuga legitima est? Mirum est contrà non omnes confugisse : alium enim detinuit paternum tugurium, natalis alium agellus. Sed (quod illius temporis historiæ præcipuum documentum est, utpote bonorum et hominum conversiones, eâ ætate, indicans), ad minuenda mala, sese *dedititios diritum* faciunt : quod tamen patrocinium approbandum esset, ni tanti penderetur. Quâ enim lege defensionem obtinent patres, eâ hæreditatem perdunt filii : *singularis emptio*, quâ nulla ferè venditor, emptor verò tradit omnia.

« Quàm non ferendam atque monstrigeram, exclamat scriptor, et quod non pati humanæ mentes, sed quod audire vix possunt, quòd plerique pauperculorum atque miserorum spoliati resculis suis, et exterminati agellis suis quùm rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa

patiantur; quùm possessio ab his recesserit, capitatio non recedit. » (1)

Horum dein exhæredes liberos Salvianus depingit, colonos factos divitum, et exulantes non à rebus tantùm suis, sed etiam à seipsis, postquàm, libertatis pretio, jus vivendi emerunt.

Quibus lectis, nullum certè, de scriptoris veracitate, dubium surget. Nec enim portentosa verba, ut quùm de Romanorum vitiis ageretur, sed facta verisimillima invenimus. Tribuenda est quoque Salviano fides, in circorum arenis, inter spectantium lætitiam et plausus, voratos homines memoranti, eidemque invios saltus, silvas inexplicabiles, nubiferosque montes, ut humani lacerarentur artus, feris viduatos describenti. Sic, diebus festis, amphitheatra Christianis replentur, et vacuæ lugent Ecclesiæ.

Hoc quidem jam non agitur in Mogontiacensium civitate, sed excisâ; non Agrippinæ, sed hostibus inundatæ; non in Treverorum urbe, sed quartùm prostratâ; non tandem in pluribus

(1) Salv. lib. V.

Gallorum et Hispanorum oppidis quæ Barbari tenent: adeò difficilè vitia, nisi ubi Romani, dominantur (1).

Veritas quoque, eloquentiæ conjuncta, Salviani mentem afflaverat, Romanorum cæcitatem inter urgentes ærumnas, depingentis. Sic, quùm bustum esset Trevirorum urbs; quùm alios ex incolis fames, nuditas alios occideret; quùm passim ab avibus et à canibus (quæ miserrima se vidisse scriptor testatur), utriusque sexûs cadavera laniarentur, quidam Nobilium excidio superstites, ab Imperatore, veluti calamitatum remedia, circenses efflagitabant. Similia quoque videres in præcipuis Galliarum civitatibus, quæ tantâ cæcitate premebantur ut, insciæ, ad ultimos perniciei gradus descenderent. (2)

Complura certè notari possunt alia quæ ad quinti post Christum seculi mores vel usus, in Salviani libris, attinent, et quibus non fides abnuenda est.

(1) Salv. lib. VI.

(2) Salv. lib. VI.

Ità, primùm, non solùm obscenitatis sed etiam superstitionum ratione, spectacula insectatur scriptor : «Colitur, ait,et honoratur Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Deus Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris. » Quæ sanè Paganorum religionem , invito Theodosio, non adhuc extinctam esse probant.

Sic etiam , ineunte quoque anno , christiani licet, pullorum volatum et cantum observabant Consules.

Alio loco , christianos ex Afris cœlesti cuidam Dæmoni addictos exhibet ; illisque hæc divi Pauli verba Salvianus objicit : *non potestis calicem Domini bibere , et calicem Dæmoniorum.*

Monachos præterea opprobriis insectantes depinguntur Afri ; ità ut ne palliatus quidem nec tonsus , Hierosolymâ atque ex Ægypto, intrà Carthaginis muros adventans , incolarum sibila vitare queat. Idcircò hæc opprobria ipsi Deo Salvianus objici ait, vetus evocans proverbium, videlicet: odio est dominus illi à quo verberatur canis.

Mihi, nunc, scriptoris virtutes et vitia perpendere, et quædam excerpendo probare superest.

III.

Cogitationes magnæ, ut quidam è nostris rectissimè scripsit, è corde prodeunt. Sic quæ primùm, in Salviani libris, mentem juvant, vividæ picturæ sunt è quibus cordis fervorem exsurgere sentimus. Dicat enim alius auctori nostro contigisse pellucidum, elegantem, doctum præsertim sermonem, interdùm verò abundantem, diffusumque nimis, cui tandem, quintâ ætate, Gallici scriptores indulserunt : hæc sanè confirmaturus accedo : sed in egregio *de gubernatione Dei* opere mihi assensum, ante omnia, rapuit, adeò ut persæpè scriptoris erroribus non attenderem, hæc nimirùm eloquendi vis quæ animo, magis quàm menti incutiebatur. Quis, inquam, hæc verba legens, non motu ineluctabili urgeatur?

« Transcenderunt Hispaniæ terras populi Vandalorum : mutata quidem est sors Hispaniæ, sed non mutata vitiositas. Postremò, ne qua pars

mundi exitialibus malis esset immunis, navigare per fluctus bella cœperunt : quæ, vastatis urbibus mari clausis, et eversis Sardiniâ ac Siciliâ, id est fiscalibus horreis, atque abscissis velut vitalibus venis, Africam ipsam, id est quasi animam captivavêre Reipublicæ. Ecquid ingressis terram illam gentibus barbaris, forsitan, vel metu, vitia cessarunt?.... Circumsonabant armis muros Cirthæ atque Carthaginis populi Barbarorum ; Ecclesia Carthaginiensis insaniebat in circis, luxuriabat in theatris : alii foris jugulabantur ; alii intùs fornicabantur ; pars plebis erat foris captiva hostium, pars intùs captiva vitiorum ».

Quæ quidem verba certissimè, Augusti temporibus, non abnuisset Roma ; quod etiam de illis verbis dici potest :

«Pervasionibus præpotentum, aut sua homines imbelles, aut etiam se ipsos cum suis pariter amittunt..... Sic pascua divitum sunt pauperes. Quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantùm, sed penè universitas patiatur generis humani.

(1) Salv. lib. VI.

Quid est enim aliud dignitas Sublimium quàm proscriptio civitatum? Aut quid aliud quorumdam quos taceo præfectura quàm præda? Nulla siquidem major pauperculorum est depopulatio quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt; commercium nesciunt, et solutionem sciunt. Ut pauci illustrentur, mundus evertitur. Unius honor, orbis excidium est. Denique sciunt hoc Hispaniæ, quibus solum nomen relictum est; Sciunt hoc Africæ quæ fuerunt; sciunt hoc Galliæ devastatæ, sed non ab omnibus, et ideò in paucissimis angulis vel tenuem spiritum agentes[1]; quia eas interdùm paucorum integritas aluit, quas multorum rapina vacuavit. »

Sed non tantùm vocem tollere, demittere quoque didicerat Salvianus; illique Gratias aliquandò arrisisse videmus: quapropter, liceat mihi etiam nonnulla verba referre.

(1) Salv. lib. IV.

De Providentiâ, primùm, agitur; quodque non animalibus negandum esse scriptor affirmat, Deo certè tribuendum est :

« Formicæ in subterraneis latibulis varia frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt, quia affectu vitæ suæ diligunt quæ recondunt. Apes, quùm fundamina favis ponunt, vel quùm è floribus natos legunt, quâ causâ vel thymum, jam nisi studio et cupiditate mellis, vel flosculos quosdam, nisi futuræ sobolis caritate sectantur ? » (1)

Tùm Aquitania depingitur; et ibi, non tam Galliarum portionem, quàm Paradisi quamdam imaginem, hujus terræ incolis scriptor concessam fuisse contendit:

« Illìc, omnis admodùm regio intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigua fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit. » (2)

Nunc verò scriptoris nostri virtutes legenti

(1) Salv. lib IV.

(2) Salv. lib. VII.

apparent ; nunc autem aliquot excerptis, ejusdem probentur vitia.

Salvianus primùm *Antithesi* nimis indulgens rectissimè dicetur ; quod certè monstrat illud exemplum:

« Interrogo enim Christianorum omnium conscientiam : ex his vel flagitiis, vel sceleribus quæ nunc diximus , quotusquisque hominum non aliquid est horum ? Aut quotusquisque non hoc totum ? faciliùs quippè invenias qui totum sit, quàm qui nihil. Et quòd diximus nihil, nimis forsitan gravis videatur esse censuræ , plus modò dicam : faciliùs invenias reos malorum omnium quàm minorum; id est faciliùs qui et majora crimina cum minoribus, quàm qui minora tantùm sinè majoribus perpetrarint. » (1)

Aliud quoque in Salviani scriptis, vitium occurrit, videlicet *Repetitio* ; sic, ut uno utamur exemplo, in quarto libro legimus : « Qui agrum *excolit* ad hoc *colit* ut cuncta conservet ; et qui vineam *plantat*, ad hoc *plantat*, ut *plantata* custodiat. »

(1) Salv. lib. III.

Quid autem plura de iis quæ ad Salviani, utpote scriptoris, vel virtutes vel vitia spectant? Ex his enim quæ jam excerpsimus, evidenter constat Senecæ ac Plinii, magis quàm Ciceronis, Salvianum imitatorem fuisse, qui, in arte ipsâ, retinere modum nescierit.

Prætereà dictarum rerum nexus, quùm attendenti cuique appareat, intrà hos fines, dissertatio hæc concludenda fuit.

—

Vidit ac perlegit,

Unus ex professoribus Facultatis Litterarum Monspeliensis.

Monspelii, Non. Aprilis MDCCCXLIX.

Facultatis decanus,

L. SIGUY.

Typis mandetur;

H. BRAIVE,

Rector Academiæ Monspeliensis.

16399

viano.

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA
16399